

modo materiae pustulas illas faciunt quas *apthas* appellare possumus vel ut mulieres vocant fungos. Cum haec sint causae omnium accidentium & talis dispositio morbi, & puer in hac aetate & extrema macie, debemus corrigere membra affecta, & praecipue ventriculum, nisi enim prouiderimus ut ille coequat nihil sperabimus scilicet, illud enim membrum laesum est, cuius operationes laesae. Fit autem omnis curatio ex opposito, habemus vitium coctionis ex intemperie calida & sicca, & fluxum illum qui prouenit seu ex retentiu debili vel expulsua fortiori. Coctio fit ab augmentibus calorem innatum, expulsio augetur ab humido, retentio a sicco. Querenda igitur erunt augmentia calorem naturalem, sicca & adstringentia (quia causae diuersae sunt miscende sunt intentiones) hoc est fundamentum curationis in genere. Quia uero particularia adhibenda sunt: scit v. Exc. quod quo magis familiaria adhibentur, eo facilius reducuntur ad actum & a ventriculo & ab omnibus membris reliquis. v. Ex. vini merionem fecit, id omnino laudo exterius applicatum, est enim familiare, sed uelle aliquod adstringens & nigrum queri, & ut esset in eo aliquod augens calorem innatum, non nimium tamen adstringens, ne corpusculum aliquo attenuatum plus a quo exsiccaret sed confortaret sine exsiccatione boni, decoquerem igitur in eo uino chamomillam quae est cali. & hum. & corroborat calorem naturalem innatum, adderem rosas in subdupla quantitate, quia & rosae et uinum adstringunt, ideo chamomilla etiam in proportione dupla non nimium humectaret, id decoctum applicaretur loco fomentationis vel pannis lineis vel spongia, & non esset nimis calidum, sed tepidum potius ne fieret maior exsiccatio, hoc modo ter vel quater fomentaretur regio membrorum naturalium, & postea applicaretur emplastrum, ut bene recordata est Exc. v. Sed hic etiam stare in ijs quae nutriunt, acciperem cotonia ex magis maturis quae haberi possunt, & pro quolibet cotonio 4. vel 5. dactylos ac dissectos remotis ossibus decoquerem in uino non potenti, vel saltem cum aqua misto ne fieret supercaesio, adderem etiam rosas, post decoctionem fieret fortis expressio, vel aliquid etiam per setacium transferetur, & postea adderem farinam hordeaceam quae ipsa etiam nutrit, myrtillos contusos, & miscerem & facerem emplastrum quod applicarem post fomentationem loco affecto & toti ventri inferiori usque ad hypochondria ut esset emplastrum in bona forma. Quod ad cibum quia carnes comedit laudarem si haberi possent perdices, aues paruulae turtures iuuenes, & reliquae carnes similes, quae sunt boni nutrimenti & sine superfluitate excrementitia, fierent contusa & exhiberentur per se uel quocumque modo uariata. In brodijs semper aliquod tormentillae coqueretur quae confortat cor: in quo casu etiam optima sunt bolus arm. & margaritae et coralli, potus fiat ex cotonio diuiso in partes cum decem aut duodecim coriandris, & quarta parte

A pulli coctis in aqua in una phiala vitrea ad ignem, confortabit stomachum, nutriet & simul etiam gratum erit, erit enim dulce & modice adstringens. Cibus ita distribuatur ut inter diem & noctem quatuor vicibus cibetur et modice, ne oneretur ventriculus aliquo debilis, et ut calor naturalis in eum possit agere, in hoc enim plurimum momenti est situm? Si intra postus omnino bibere uolet propter sitim, poterit lactare, lac enim illud alit substantificet et naturae admodum familiare, non ita perturbat coctionem.

Si ad pectinem aliquid applicare uolumus potest fieri inunctio ex oleo chamomellino absinthino et mastichino ut semper aliquid addatur humectans. Pro confortatione cordis et membrorum spiritalium uteretur unguento ros. Mes. cum speciebus cordialibus usitatis, unungendo cor et pectus. A feruitualibus uel clysterijs abstinere, ne nimium dilargaretur siue dilataretur et irritaretur locus in puero tenello, &c.

B Sequenti die puer aliquanto melius habebat mane, & feces apparebant magis super coctione ventriculi attestantes. Rogatus quod nam posset tuto suffumigium fieri in camera, Montanus iussit aquam rosae, et acetum misceri ac in olla noua ad carbones leuiter decoqui, insperso puluere gariophilorum, fara un' odor gentil, id est delectabilem odorem inducet nec caput laedet, uespere iterum deterius habebat puer, id post longam inquisitionem tandem ex ampliori copia cibi exhibitae euenire aduertit, & ut in ea re praecipue attenderent iussit, ne ventriculum nimis onerarent, sufficere puero contusum ex perdice iuniori cum pane factum, etiam per quatuor vel quinque uices (est enim caro siccior quae coctione multa indiget) & melius esse ut minus exhiberetur quam debebat fieri quam ut plus.

C Sequenti die uespere quae erat dies 19. uocato etiam Phrisimelica, Montanus quae acta erant & post hac agenda sic retulit. Vocatus ad hunc puerum nudius tertius uespere inueni eum sine musculis abdominis omnino carentem carne et sine pinguedine omenti, et credo consumatam etiam fuisse pinguedinem intus uentientem intestina ex fluxu diuturno, totum denique tabidum cum fluxu qui erat contrariae naturae, nam & crudae materiae non coctae a ventriculo in forma cibi apparebant, quod a frigidity seu calore naturali diminuto prouenit, & fetor erat maximus qui est ex putredine quae non est nisi a calore praeter naturali igneo. Huius diuersitatis causas diligenter consideraui de defectum caloris naturalis in ventriculo, & intemperiam calidam epatis quae adhuc durat, & ideo miscuimus etiam intentiones ut simul nutriremus partes tabidas, & humectaremus & calefaceremus membra naturali humectatione & calefactione tali quae augeret & confortaret calorem innatum & naturalem, fecimus fomentationes & emplastrum (& ut supra) pulueres item ex margaritis corallis et bolo armenio pro confortando stomacho, alteran

do